

# 28<sup>th</sup> SYDNEY LATIN SUMMER SCHOOL

17<sup>th</sup>-21<sup>st</sup> JANUARY 2022  
University of Sydney via Zoom

LEVEL 3Aiii

Pliny the Elder *Naturalis Historia*

Alexandra Pinkham



Sydney Latin Summer School 2022  
Class 3A - Alexandra Pinkham (Tutor)  
Pliny the Elder *Naturalis Historia*

Salvete omnes, and welcome to Class 3A for 2022!

This week we'll be reading a selection from Pliny the Elder's *Naturalis Historia* (Natural History), one of the largest single works to have come down to us from the Roman era. Divided into 37 books in 10 volumes, the *Naturalis Historia* covers a vast number of topics, from astronomy to zoology, geography, botany, mining, agriculture, and just about everything in between. The first 10 books were published in AD 77 and the rest were published posthumously by Pliny's nephew, Pliny the Younger (after Pliny the Elder had been killed in the eruption of Mount Vesuvius in AD 79).

Our readings this week come mainly from Book 8 (which deals with zoology) and a little from Book 7 (on anthropology and human physiology). I've picked out some of the weirder animals for us to read about, as well as some more familiar ones, and we'll be traversing most of the world as the Romans knew it - from Ethiopia to India, and even Scandinavia!

The Latin text below is the Mayhoff edition, which you can access online for free via PHI (<https://latin.packhum.org/loc/978/1/0#521>). You can find a good English translation by Rackham (which also contains links to each chapter of the Latin) for free via Attalus ([http://www.attalus.org/translate/pliny\\_hn8a.html](http://www.attalus.org/translate/pliny_hn8a.html)). And of course, feel free to consult any commentaries or other translations you might have access to. There will be a fair amount of unfamiliar Latin vocabulary in the texts we read this week, so having a dictionary handy will be essential.

My plan for the week is for us to work through a section of text each lesson - some of the smaller portions we should be able to knock over in one lesson, but some of the longer ones may stretch across two lessons. You'll get the most out of this class if you're able to prepare some or all of your translation in advance. I know you'll be doing this for other classes too, so if you don't get a chance to prepare beforehand - don't worry! Just do as much as you're able. I've included more material than we're likely to have time for, but once we've got the first couple of lessons under our belts we'll have an idea of how much text we get through in each lesson and we can prepare accordingly.

I'm looking forward to reading some Pliny the Elder with you this week!

Alexandra

### The Chameleon

8.120-122 Cervos Africa propemodum sola non gignit, at chamaeleonem et ipsa, quamquam frequentior e<st> Indiae. figura et magnitudo erat lacerti, nisi crura essent recta et excelsiora. latera ventri iunguntur ut piscibus; et spina simili modo eminet. rostrum, ut in parvo, haut absimil<e> suillo, cauda praelonga, in tenuitatem desinens, implicans se viperinis orbibus, unguis adunci, motus tardior ut testudini, corpus asperum ceu crocodilo, oculi in recess<u> cavo, tenui discriminé, praegrandes et corpori concolores. numquam eos operit nec pupillae motu, sed totius oculi versatione circumaspicit. ipse celsus hianti semper ore solus animalium nec cibo nec potu alitur nec alio quam aëris alimento, ric<tu ter>rifico fere, innoxius alioqui. et coloris natura mirabilior: mutat namque eum subinde et oculis et cauda et toto corpore redditque semper quemcumque proxime attingit praeter rubrum candidumque; defuncto pallor est. caro in capite et maxillis et ad commissuram caudae admodum exigua nec aliubi toto corpore; sanguis in corde et circa oculos tantum; viscera sine splene. hibernis mensibus latet, ut lacertae.

### The Hedgehog

8.133-135 Praeparant hiemi et irenacei cibos ac volutati supra iacentia poma adfixa spinis, unum amplius tenentes ore, portant in cavas arbores. <i>idem mutationem aquilonis in austrum condentes se in cubile praesagiunt. ubi vero sensere venantem, contracto ore pedibusque ac parte omni inferiore, qua raram et innocuam habent lanuginem, convolvuntur in formam pilae, ne quid comprehendi possit praeter aculeos. in desperatione vero urinam in se reddunt tabificam, tergori suo spinisque noxiā, propter hoc se capi gnari. quam ob rem exinanita prius urina venari ars est, et tum praecipua dos tergori, alias corrupto, fragili, putribus spinis atque deciduis, etiam si vivat subtractus fuga. ob id non nisi in novissima spe maleficio eo perfunditur, quippe et ipsi odere suum beneficium, ita parcentes sibi terminumque supremum opperientes, ut ferme ante captivitas occupet. calidae postea aquae adspersu resolvitur pila, adprehensusque pes alter e posterioribus suspendiosa fame necat. aliter non est occidere et tergori parcere. ipsum animal non, ut remur plerique, vitae hominum supervacuum est, si non sint illi aculei, frustra vellerum mollitia in pecude mortalibus data: hac cute expoliuntur

vestes. magnum fraus et ibi lucrum monopolii invenit, de nulla re crebrioribus senatus consultis nulloque non principe adito querimoniis pro*v>i<nc>*ialibus.

### The Achlis of Scandinavia, and the Bonasus of Paeonia

8.39            Septentrio fert et equorum greges ferorum, sicut asinorum Asia et Africa, praeterea alcen iumento similem, ni proceritas aurium et cervicis distinguat; item natam in Scandinavia insula nec umquam visam in hoc orbe, multis tamen narratam achlin haud dissimilem illi, set nullo suffraginum flexu, ideoque non cubantem et adclinem arbori in somno eaque incisa ad insidias capi, alias velocitatis memoratae. labrum ei superius praegrande; ob id retrograditur in pascendo, ne in priora tendens involvatur. tradunt in Paeonia feram quae bonasus vocetur, equina iuba, cetera tauro similem, cornibus ita in se flexis, ut non sint utilia pugnae. quapropter fuga sibi auxiliari reddente*m>* in ea fimum, interdum et trium iugerum longitudine, cuius contactus sequentes ut ignis aliquis amburat.

### The Domestic Dog

8.142-146       Ex his quoque animalibus, quae nobiscum degunt, multa sunt cognitu digna, fidelissimumque ante omni*a>* homini canis atque equus. pugnasse adversus latrones canem pro domino accepimus confectumque plagis a corpore non recessisse, volucres ac feras abigentem. ab alio in Epiro agnatum in conventu percussorem domini laniatique et latratu coactum fateri scelus. Garamant*u>m* regem canes CC ab exilio reduxere proeliati contra resistentes. propter bella Colophonii itemque Castabalenses cohortes canum habuere. hae primae dimicabant in acie numquam detrectantes; haec erant fidissima auxilia nec stipendorum indiga. canes defendere Cimbris caesis domus eorum plastris inpositas. canis Iasone Lycio imperfecto cibum capere noluit inediaque consumptus est. is vero, *c>ui* nomen Hyrcani reddit Duris, accenso regis Lysimachi rogo iniecit se flammae, similiterque Hieronis regis. memorat et Pyrrhum, Gelonis tyranni canem, Philistus; memoratur et

Nicomedes Bithyniae regis, uxore eius Cosingi lacerata propter lascivorem cum marito iocum. apud nos Vulcatium nobilem, qui Ca<s>cellium ius civile docuit, asturcone e suburbano redeuntem, cum advesperavisset, canis a grassatore defendit; item Caelium senatorem aegrum Placentiae ab armatis oppressum, nec prius ille vulneratus est quam cane interempto. sed super omnia in nostro aevo actis p. R. testatum Appio Iunio et P. Silio cos., cum animadverteretur ex causa Neronis Germanici filii in Titium Sabinum et servitia eius, unius ex his canem nec in carcere abigi potuisse nec a corpore recessisse abiecti, in gradibus gemitorii maestos edentem ululatus magna populi Romani corona, ex qua cum quidam ei cibum obiecisset, ad os defuncti tulisse. innatavit idem, cadavere in Tiberim abiecto, sustentare conatus, effusa multitudine ad spectandam animalis fidem.

Soli dominum novere et ignotum quoque, si repente veniat, intellegunt; soli nomina sua, soli vocem domesticam agnoscent. itinera quamvis longa meminere, nec ulli praeter hominem memoria maior. impetus eorum et saevitia mitigatur ab homine considente humi. plurima alia in <i>is cotidie vita invenit, sed in venatu sollertia et sagacitas praecipua est. scrutatur vestigia atque persequitur, comitantem ad feram inquisitorem loro trahens, qua visa quam silens et occulte, set quam significans demonstratio est cauda primum, deinde rostro! ergo etiam senecta fessos caecosque ac debiles sinu ferunt, ventos et odorem captantes protendentesque rostra ad cubilia.

#### The strange animals of Ethiopia and India...

8.72-76            Lyncas vulgo frequentes et sphingas, fusco pilo, mammis in pectore geminis, Aethiopia general multaque alia monstri<s> similia, pinnatos equos et cornibus armatos, quos pegasos vocant, crocotas velut ex cane lupoque conceptos, omnia dentibus frangentes protinusque devorata conficientes ventre, cercopithecos nigris capitibus, pilo asini et dissimiles ceteris voce, Indicos boves unicorns tricornesque, leucrocotam, pernicissimam feram asini feri magnitudine, clunibus cervinis, collo, cauda, pectore leonis, capite melium, bisulca ungula, ore ad aures usque resciutto, dentium locis osse perpetuo —(hanc feram humanas voces tradunt imitari. apud eosdem et quae vocatur eale, magnitudine equi fluviatilis, cauda elephanti, colore nigra vel fulva, maxillis apri, maiora cubitalibus cornua habens mobilia, quae alterna in pugna sist<i>t variatque infesta aut obliqua, utcumque ratio monstravit)—, sed atrocissimos tauros silvestres, maiores agrestibus, velocitate ante omnes,

colore fulvos, oculis caeruleis, pilo in contrarium verso, rictu ad aures dehiscente iuxta cornua mobilia. tergori duritia silicis, omne respuens vulnus. feras omnes venantur, ipsi non aliter quam foveis capti feritate semper intereunt. apud eosdem nasci Ctesias scribit quam mantichoran appellat, triplici dentium ordine pectinatum coeuntium, facie et auriculis hominis, oculis glaucis, colore sanguineo, corpore leonis, cauda scorpionis modo spicula infigentem, vocis ut si misceatur fistulae et tubae concentus, velocitatis magnae, humani corporis vel praecipue adpetentem. in India et boves solidis unguis, unicernes, et feram nomine axin <h>in<n>ulei pelle pluribus candidioribusque maculis, sacrorum Liberi patris—(Orsae Indi simias carentes toto corpore venantur)—, asperrimam autem feram monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite servo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente. hanc feram vivam negant capi.

...And some of the strange peoples who live there

7.21-25 Praecipue India Aethiopumque tractus miraculis scatent. maxima in India gignuntur animalia. indicio sunt canes grandiores ceteris. arbores quidem tantae proceritatis traduntur, ut sagittis superiaci nequeant—e<t> facit ubertas soli, temperies caeli, aquarum abundantia, si libeat credere, ut sub una fico turmae condantur equitum—, harundines vero tantae proceritatis, ut singula internodia alveo navagabili ternos interdum homines ferant. multos ibi quina cubita constat longitudine excedere, non expuere, non capitis aut dentium aut oculorum ullo dolore adfici, raro aliarum corporis partium: tam moderato solis vapore durari. philosophos eorum, quos gymnosophistas vocant, ab exortu ad occasum perstare contuentes solem inmobilibus oculis, ferventibus harenis toto die alternis pedibus insistere. in monte, cui nomen est Nulo, homines esse aversis plantis octonos digitos in singulis habentes auctor est Megasthenes; in multis autem montibus genus hominum capitibus caninis ferarum pellibus velari, pro voce latratum edere, unguibus armatum venatu et aucupio vesci; horum supra centum viginti milia fuisse prodente se Ctesias scribit, et in quadam gente Indiae feminas semel in vita parere genitosque confestim canescere. idem hominum genus, qui Monocoli vocarentur, singulis cruribus, mirae pernicitatis ad saltum; eosdem Sciapodas vocari, quod in maiore aestu humi iacentes resupini umbra se pedum protegant. non longe eos a Trogodytis abesse, rursusque ab his occidentem versus quosdam sine cervice

oculos in umeris habentes. sunt et satyri subsolanis Indorum montibus (Catarcludorum dicitur regio), pernicissimum animal, *<am* quadripedes, *<am* recte currentes humana effigie; propter velocitatem nisi senes aut aegri non capiuntur. Choromandarum gentem vocat Tauron silvestrem, sine voce, stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis. Eudoxus in meridianis Indiae viris plantas esse cubitales, feminis adeo parvas, ut Struthopodes appellantur. Megasthenes gentem inter Nomadas Indos narium loco foramina tantum habentem, anguum modo loripedem, vocari Scirtas. ad extremos fines Indiae ab oriente circa fontem Gangis Astomorum gentem sine ore, corpore toto hirtam vestiri frondium lanugine, halitu tantum viventem et odore, quem naribus trahant. nullum illis cibum nullumque potum, radicum tantum florumque varios odores et silvestrium malorum, quae secum portant longiore itinere, ne desit olfactus; graviore paulo odore haut difficulter examinari.